



REGNUM ABISSINORVM.

ab Ecclesiasticis à templis arcentur. Divortia quoque facere illis licet. Vaccinas carnes crudas sanguine recenti tanquam jure aliquo tinctas, nobiles in deliciis habent. In toto regno æris monetalis usus non est, sed ejus loco aurum purum infectumque penditur. Etiam sal (uti per totam fere Africam) rerum commutationibus infervit. Idem alicubi ferrum globuli forma expositum facit. Sed piper in tanto apud hos est precio, ut quodcumque quis mercari sibi velit, pro eo redimere facile sit.

Habent hæc regiones omnis fere generis animalia, aves, elephantas, leones, tigrides, lynces, simias, cervos (hoc contra veterem opinionem it, qui negant Africam habere cervos). Sed toto sexennio, quos istis in locis hæsit Alvaresius, nec ursum nec cuniculum se vidisse scribit.

Sunt autem his locis, uti & in Ægypto, peculiare malum locustæ, quarum tantus subinde excrescit numerus, ut aerem obfuscare videantur, tam densis agminibus nunc hanc, nunc illam provinciam hostiliter vastantes, ut omnem segetem messemque devorent, arborum folia corticesque depalcantur, camposque adeo depopulentur, ut incolæ sæpe domicilia avita relinquere, & ad alias sedes commigrare cibi penuria cogantur.

Dividitur in compluria regna, sive provincias; quarum nomina sunt: *Dasila, Barnagasso, Dangali, Dobas, Trigemabon, Ambiancantina, Vangué, Bagamidri, Beleguanze, Angore, Balli, Fatigar, Olabi, Baru, Gemen, Fungi, Tirat, Efabela, Malemba.* Vrbes in universo Imperio paucae sunt. Vicis plurimum habitatur, domibus ex creta & stramine constructis. Rex ipse, (qui albo colore esse fertur) sub tentoriis degit, quorum sex millia eum sequuntur. *Amara* arx est munitissima, in monte præsidio educantur, donec patre defuncto hæres producatur. Regno *Trigemabon* subest reg-

num Tigris, in quo est urbs *Caxumo*, sive *Cassimo*, sedes olim, uti in eorum annalibus est, reginæ Sabæ, ac post etiam Candaces reginæ.

Fluvii in hoc regno duo memorabiles per Æthiopiā labentes sunt: *Abanhi*, qui *Astapus* Ptolomæo, & *Tacassi*, qui etiam *Astaboras*, in quem complures alii amnes conflunt. Fons *Abanhi* est *Barcena* lacus sub æquinoctiali jacens, in quo plures insulæ. Ptolomæo vocatur *Coloe palus*.

Regio ipsa in universum (ut ex recentioribus, qui eam lustrarunt, constat) fertilissima. Æstatem quotannis habet geminam, & ferme perpetuam. ita, ut uno tempore in aliis agris sementis fiat, in aliis colligatur messis. Alicubi singulis mensibus novas fruges, legumina præfertim seruntur. Triticum quidem parce producit, hordeum vero, milium, sesamum, ciceres, fabas, aliaque legumina, copiosissime profert. *Hebena* Perfico & siliquastrum abundat. Saccharum etiam in arundinibus sufficit copiose, sed ipsum coquere & expurgare nesciunt. Vites multæ sunt, vini tamen usus nullus, præterquam in aula regis & magni Patriarchæ. Mala medica, citrea, mel, linum habent. artem tamen ex lino telas conficiendi ignorant. Pannos ex gossypio sibi parant, cujus hic magnus est provenus. Etiam metalla habent auri, argenti, æris, sed ea expurgare nesciunt.

Inscriptio, qua Rex uti solet, hæc est: *NN. T. Supremus meorum regnorum, à Deo unice dilectus, columna fidei, ortus ex stirpe Iuda, filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sionis, filius ex semine Iacob, filius manus Mariæ, filius Nabu secundum carnem, filius sanctorum Petri & Pauli secundum gratiam, Imperator superioris & minoris Æthiopiæ, & amplissimorum regnorum, jurisdictionum, & terrarum, rex Noa, Casares, Fatiger, Angole, Baru, Balignara, Adea, Vangué, Goyamæ, ubi Nilii fontes, &c.*

REGNUM ABISSINORVM.

Æthiopia interior, sive regnum Abyssinum.



nter Africæ partes est Æthiopia. Hæc duplex est, una Interior, quæ etiam superior dicitur: altera Exterior sive inferior, ad quam pertinent regiones Congi, Monomotapa, Zangibar & Ajan. Superior Æthiopia sive interior Abissinorum continet Imperium. Clauditur regnum ab ortu Arabico sinu & regionibus *Ajana* ac *Zangibara*: à meridie *Monomotapa*, ab occasu *Congo* & *Medar* regnis; à septentrione *Nubia* & *Ægypto*. Imperat illis rex, qui Presbyter sive Pretiosus Iohannes, vulgo *Præte Gianni* vocatur, magno, recepto tamen errore, cum is quondam in Asiæ, ut relatum est, regno *Tenduc* regnaverit. Abasenos populos recenset *Stephanus* in Arabia: unde verisimile est, eos in Africam trajecto sinu Arabico commigrasse. Aut sane in ipsa Africa fuerunt ad sinistram Arabici sinus latus, ubi Arabia Troglodytica ponitur. Hæc quippe nunc sub Abissinorum imperio est. Alii tamen ab Arabico vocabulo *Ethabasci* (sic enim Mauri principem Abissinorum appellant) vulgo factum opinantur *Abassi*, ac deinde *Abasseni*, quod denique commutatione vocalium in Abissinorum nomen evasit. Olim à reginis solum gubernata fuit hæc regio. Vnde in V. T. legitur ad Iudæorum regem *Salomonem* venisse reginam austri de Sabæ, ut admirandam ejus sapientiam audiret. Huic reginæ nomen fuit *Maqueda*. Credunt Æthiopiæ reges ex Davidis stirpe & Salomonis familia sese oriundos. Atque eam ob causam se Davidis & Salomonis atque adeo sanctorum Patriarcharum sobolem appellare solent. Fingunt enim *Maquedam* istam ex Salomone filium suscepisse, quem *Melech* nominavit. Postea David fuit dictus. Is, uti fabulantur, cum annum ætatis vigesimum attingisset, ad Salomonem patrem & præceptorem à matre remissus fuit, ut sapientiæ ac doctrinæ cœlestis studiis exerceretur. Quod simul ac consecutus fuit, *Melech* seu *David*, permissu Salomonis sacerdotes & comites multos nobiles de singulis duodecim tribubus sibi junxit, & in regnum Æthiopiæ reversus, imperio admotus fuit, ac unâ legem Domini, circumcisionisque ritus introduxit. Hæc initia fuere religionis Iudaicæ in Æthiopia, & ajunt, in hunc usque diem, ad aulica ministeria & canonicatus nullos admitti, nisi de stir-

Termini.

Error de Presbytero Iohanne.

Imperium Majorum.

Religionis origo.

pibus ex Iudæa adductis prognatos. Ab his igitur Iudaismus hic propagatus. Nam & libros Propheticos retinuerunt Æthiopes, & Hierosolymam adorandi causa profecti sunt. Quod ex historia Eunuchi Candaces reginæ (quæ Iudith proprio nomine dicta est) præfecti, intelligi potest. Qui cum à Philippo baptizatus esset & Christianam religionem amplexus, reversus in Æthiopiā reginam baptizavit, magnamque familiæ reginæ & populi partem. Ex quo Christiani esse cœperunt Æthiopes. De eorum moribus, vivendi genere, & religione hæc pauca ex Francisci Alvarezii Itinerario, Italica lingua excuso, delibabimus: Est his regionibus magnus monasteriorum utriusque sexus numerus. In virorum monasteria neque mulier, neque animal feminei sexus ullum intrat. Horum monachi, jejunium, quod quinquaginta dierum hic est, aqua ut plurimum & pane observant. Nam piscium hic magna est penuria, præsertim in mediterraneis. Nam etiam amnes piscosi sint, piscationibus tamen minime indulgent, cum artem piscandi non calleant. Horum quidam eo tempore vix panem gustant, sed herbis duntaxat sustentantur. Sunt inter illos, qui per totum hoc jejunii tempus non dormiunt, nisi mento tenuis subter aquam sedentes. In templis, more nostro, campanas habent, sed plerunque saxæ. Sacerdotes presbyterice sunt conjugati, Missam celebrant, processiones crucibus thuribulisque peragunt. Monachi comam nutriunt, Sacerdotes non item. neuter calceis vestitur, neque quis calceatus (etiam laicus) templum ingredi potest. Diebus Sabbathi & Dominicis feriuntur. Circumciduntur omnes, etiam feminae: sed baptizantur quoque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed non ante diem quadragesimum. Qui ad hunc diem non pertinent, non baptizati obeunt. Omnibus baptizatis eodem momento sacram Eucharistiam ministrant, multa superinfusa per eos frigida, ut facilius à pueris deglutiat. Nomina quibus induuntur propria, sunt omnia significativa. Dicunt se ad religionem Christianam conversos à Candace (cujus in Actis Apostolorum memoria est) reginam, quam Iudith vocatam putant. Habent librum in octo partes distinctum, quem *Manda* & *Abetilis* vocant. Hunc ab omnibus simul Hierosolymæ unâ congregatis Apostolis scriptum asserunt. hujus contenta omnia studiose observant. Plebs digama fere est, hoc est, duas tresve uxores impune ducunt, pro ratione facultatum, quibus eas alere possunt, sed tales ab Eccle-

AFRICA.

F

ULB-Halle KS: B II 3/2 / 7

